

1483 tribus significarat, qui ut eos in fœdere retinerent, nullum interim bonorum sociorum officium prætermisere. Sua ne igitur sponte, an alieno impulsu defecerint, difficile est judicare. Percusso cum hostibus fœdere, tentavit Pontifex per literas Venetos ab armis revocare, atque eo suadendo hortandoque perducere, ut Ferrariensi bello omnino abstinerent, restituerentque Herculi Æstensi, quæcunque ad eam diem armis illi ademissaent. Patres ea denunciatione moti, et si certi erant, semipartam victoriam nolle abjicere, censuerunt tamen, Pontifici respondendum, ac per literas non illi magis quam toti Italiæ, immo Europeis omnibus demonstrandum: contracti belli, culpam a se quam longissime abesse; atque id ipsum ex eo facile intelligi, quod nisi Xysto ipso auctore, immo impulsore potius, arma in Herculem sumere noluissent, quæ magno Reipublicæ dispendio sumpta, tum quum victoria jam penne parta esset, a se repeterentur: quasi facile omnino esset, gravissimum bellum grandi dispendio contractum, tam repente solvere. Placuit itaque Bernardum Justinianum, virum insigni eloquentia, ad Pontificem publico nomine rescribere. Literarum, quas ille in Senatum attulit, quæque Romam postea missæ sunt, hæc fere summa fuit, ut diceret: *Venetos ne injuria quidem lacefitos, arma prius induere voluisse, quam belli, quod postea Herculi illatum esset, Pontificem non solum auctorem, sed impulsorem etiam habuissent: nec tum quidem eos a pace multum abhorrere, quin veteri civitatis instituto libenter eam complexuros fuissent, nisi alieno tempore proponeretur, tunc sane, quum jam prope debellatum esset, ac tam indignis conditionibus, ut nil aliud esset illam recipere, quam Venetum nomen omnibus gentibus irridendum exhibere: Certo se scire, Pontificis consilia, monitus, bortationes ad commune ocium spectare; nec ab eo quicquam proficiisci posse, quod non idem christiano nomini conducibile esset. Verum satis superque apparere, secum in eo, dolo agi, quod dum ipsi vicesimum prope annum Othomanico bello terra marique occupati fuissent, ut communem hostem procul Italia (ad cuius imperium*

*Venetorum
literæ ad
Pontificem.*